


Zur  
Gräfl. vom Hagen'schen  
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN  
gehörig.


No. 2328

subl.  
auf Ja 2400

*Handwritten scribble*

*Handwritten notes:*  
= 00  
000  
000





L431

BALTH. EXNERI  
Hirschbergi

**E**THOPOEIA  
HORATIANA.

*Hoc est:*

IN

Q. Horati Flacci  
lib. I. Carm. Parodiae.




LIPSIÆ,  
*ANNO Dei - Hominis*

CIC. MD. I.

## LECTORI MEU.

**V**isquis es, mi Lector, paullum  
subsiste in hoc praescripto. Non te mo-  
rabor, nec ambitiose causae meae addam  
pompa. saltem instituti mei consilium cape. Quem  
tibi damus libellum, indigitavimus Ethopaeam Ho-  
ratianam. Tu improbas? an quia plus promittat à  
fronte, quam habet in recessu? inspice, non aspice. Li-  
cet non facile quae spiam, aut potius (cum veniam dixe-  
rim) nemo, huius Poetae diuinitate imitari possit:  
tamen plane aliam & noua veste indutum cernes, &  
quemadmodum spero, non indecora. Si tibi non sa-  
tis factum, doce me, saxo ut nemo tam facilis sit ad  
monendum, quam ego ad mutandum. Obscuritatem  
obijcis? Credo. Sed quae haec mea culpa? Horatius est,  
qui ut prudentissimus, ita astrictissimus est. Ego quid  
facerem? inhaerere eius filo lex operis iubebat, de-  
flectere vel mutare contextum religio vetabat. Le-  
ge igitur & relege. Ipsum si non assequere mei e-  
tiam libelli (fidenter id affirmem) partem non ca-  
pies magnam. Priusquam autem sensum eius re-  
cte percipias, ne affirge illi sensum ex tuo sensu,  
aut temere iudica. Quam arduum hoc sit totum in  
arduo isto studio & studio, frustra dixerim apud  
non expertum. Si quis volet, per tentamentum &  
jocum aggrediatur idem idou' Pód & idou' πίνδ κ-  
μα. In quo finio & serio conquiesco, vicinam tu  
mecum.

AMPLIS.




AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS ET  
PRUDENTISSIMIS, IN REPV-  
BLICA HIRSCHBERGEN-  
SI, VIRIS,

Dn. M. Pancratio Kretschmero, Con-  
suli,

Dn. Valentino Ermerico, Consulari,

Dn. M. Pancratio Syffebachio, Syn-  
dico & Senatori.

*Dominis & Patronis meis.*

 I quisquam est, Viri  
Amplissimi, ex tam varia tot  
Poëtarum multitudine, qui  
linguam puro-puto sermone, & pectus  
virtute ac doctrinâ exposire possit, elabo-  
ratissimus certè tam Græcorum quàm  
Latinorum, & primo cum Virgilio est  
censendus loco Q. Horatii Flaccus

A 2

Non

P R Æ F A T I O.

Non enim solo dicendi genere humili, quemadmodum scripsit Quincilianus, contentus: Verum etiam sublimi maxime commendandus est. In Lyricis maiorem laudis atq; admirationis, quam castigationis apparatus sese offerre, & quâvis censurâ potioem esse, nemo est, vel leuiter saltem tinctus literis, qui non intelligat & utrò fateatur. In his enim, quem sonum, quos numeros, quam maiestatem quæsiuit, obtinuit: quam puritatem, elegantiam & venustatem appetijt, consecutus est. Et inde merito eum cum ipso Pindaro conferrî, immò ipso Pindaro accuratiorem & sententijs crebriorem, nihilq; in eo laxum esse, nihil hiare: sed omnia cohærere, aq; ambrosiâ & nectare dulciora esse, autor est Diuus Scali-  
ger; qui horum similia à se composita, quàm Pythionicarum multa Pin-  
dari,



P R Æ F A T I O.

dari, aut Nemeonicarum, vel totius  
 Tarraconensis Regem esse, se  
 malle, publicè profiteri non est veritus.  
 Idem etiam omnibus seculis viri in quo-  
 vis doctrinarum genere exercitatissimi  
 intellexêrunt, & miris encomijs Poëtam  
 hunc decantarunt. Nec desunt hodie,  
 qui hunc omnibus longo intervallo antepo-  
 nant. Non minùs videmus, in vero, ex  
 eo, hauriendo sensu desudasse multos, de-  
 sudare plurimos. Quos inter operam me-  
 hercules vtilem in commentarijs suis po-  
 suit Lambinus; necessariam verò præ-  
 teritis annis amicus & Præceptor olim  
 meus charissimus, in Acad. Rostochi-  
 ensi Professor clarissimus Eilardus  
 Lubinus; cui optimo jure palmam tri-  
 bui, nemo est, qui ambigat. Nec in eo  
 tantùm laborârunt viri eruditi, vt ex lon-  
 gè difficilimi huius & divini Poëtæ car-

P R Æ F A T I O.

minibus perciperent, alijsq; patefacerent  
 genuinum sensum: verum etiam ad eiusd.  
 Odas Parodias scribere, & ita optimum  
 hunc Poëtam sibi familiariorum reddere  
 studuerunt, atq; in minimo vocabulo à  
 contextu desciscere piaculum arbitrati  
 sunt. Ex nostræ ætatis hominibus, quos  
 memini, prodiere Divus Scaliger,  
 Paulus Melissus, Henricus Mei-  
 bomius, Melior Laubanus, Va-  
 lentinus Acidalius, Laurentius  
 Ludouicus, Georgius Martinius,  
 Barptolomæus Bilouius, Ca-  
 spar Conradus, Daniel Vechne-  
 rus, Arnoldus Helius, & ad finis  
 meus Georgius Carolides à Carls-  
 berga in Rosteliz; Veteres scilicet  
 imitati, Matronem, Poëtam Gre-  
 cum, qui multa millia Homericorum ver-  
 suum, ad culinam & macellum, inuertit  
 justo

P R Æ F A T I O.

justo Poëmate; Eubæum Parium, qui floruit sub Philippo, & quatuor edidit Parodiarum libros, Hegemonem; qui apud Athenienses hoc genere Carminis certavit, & tum alijs vicit, tum eo, quod vocavit Gigantomachiam, & Hipponactem, quem primum Parodiarum inventorem quidam autumant, quanquam Aristoteles Hegemonem Thasium primò Parodias scripsisse asserat. Quemadmodum autem Satyra ex Tragedia, Mimus ex Comœdia: sic etiam Parodia nata est ex Rhapsodia, quæ est, ut Philochorus interpretatur, versuum commentatio, quod cognomentum Pisistrati operâ inventum esse quidam existimant; qui, cum Homericarum carmina sparsa ac divulsa offendisset, à cantu & suturâ fecit, ut παρωδια diceretur. Cum enim Rhapsodi

P R Æ F A T I O.

intermitterent recitationem, lusûs gratiâ  
 prodibant, qui ad animi remissionē omnia  
 illa priora inuēterent. Hos idcirco πρῶ-  
 δούς nominarunt: quia præter rem seriam  
 propositam alia ridicula inferrent. Est  
 igitur Parodia, Rhapsodia inuersa, mu-  
 tatis vocibus ad ridicula sensum retra-  
 hens. Erat enim velut Epirrhema aut Pa-  
 rabasis, quasi auētarium actûs: vt sit πρῶ-  
 τῶ γυναικίῳ ὠδῆν, ἢ πρῶτον γοῦν, ipsa πᾶσα γοῦν.  
 Suidas autem more suo, id est, triuiali-  
 ter, vt ajunt, interpretatur. Parodia,  
 inquit, est, cum ex Tragœdia exit cantus  
 in Comœdiam. Fuisse autem Parodiam in  
 honore apud Siculos, conijci potest ex A-  
 lexandri Aetoli, quod ex Orco quasi  
 reuocauit, nobisq; reddidit Scaliger,  
 elegiaco:

τοῖα σ τρακοσίσι πρῶτων χάρις. οἱ δὲ βοιωτῶν  
 ἐκλυον, εὐβοίῳ γέσπετου οὐκ ὀλίγον.

Hoc igitur cum à viris tam nostri,

quàm

P R Æ F A T I O.

quàm Prædecessorum nostrorum seculi  
grauissimis tentatum & factitatum, sem-  
perq; in honore habitum vidissem, atq; sum-  
mi huius Poëtæ Carmina mihi quàm ma-  
ximè arriderent, quamuis mihi meæ te-  
nuitatis satis conscius eram, idem ego qua-  
si *ἔλθον αὖ* & pro ingenioli mei captu ten-  
tare non erubescam, versus memor vul-  
gati, Poëtæ nostri:

*Est, quâdam prodire tenus, si non datur ultra.*

Vobis autem, viri Amplissimi, hoc,  
quicquid est, dare, dicare & dedicare vo-  
lui, immò debui. Virtus vestra & huma-  
nitas, beneficiorumq; quæ mihi à primis  
statim incunabilis præstitistis, sic suasit &  
persuasit multitudo. Et fortassis (sic arbi-  
tror) munus vobis erit non ingratũ, quod  
per se quidem non magnum est, sed pondus  
accipiet ab animo meo: quia offero, quod  
nunc in meo litterario censu est carum &

P R Æ F A T I O.

rarum. Nouitas etiam aliquid gratiæ in-  
fundet, quoniam, nisi fallor, hoc velo Ho-  
ratiū producimus primi. Qui heri aut  
hodie id tentarunt, non me tenuere, nec ter-  
ruere. In parte saltem nobis dedere, nullo  
obseruato odarum ordine. Accipite igitur  
& suscipite, quem curto & proletario a-  
miētū emitto vel potius præmitto Hora-  
tiū, venerationis scilicet erga vos meæ  
documentum & quasi sponsorias animi  
grati tabellas, quas vt tam diu in sacello  
Gratiarū suspendatis, donec luculentius  
quiddam vestrisq; nominib. dignius, inge-  
niolum meum suppeditet, quā debeo obser-  
uantia oro & obtestor. Bene feliciterq; va-  
lete, & solito fauoris afflatu me animare  
nunquam & nusquam desistite. Per scrib.  
Hirschbergæ in Patriâ, IX. Kal.  
May, Anno M. D. C. I.

Vestrae Amplitudinis  
addictus  
Clicus

Balthasar Exnerus.



B. EXNERI  
Ethopœia Horatiana:

PARODIA

In Odam I.

AD MINERVAM.

CVM SVMMVM IN PHI-  
LOSOPHIA GRADVM  
ASSVMERET.

*Dicit alios alio, se verò Philoso-  
phico studio delectari.*

**M**

Inerua ô atavis edita cœlicis, (cum,  
O & consilium, & grande decus me-  
Sunt, quos laureolâ nomen amabile  
Conquisisse iuvat, fama q; versibus

*Affectata sacris, palma q; nobilis  
Parnassi Dominas evehit ad novem.*

*Hunc, si Piërii turba viretulè  
Certat magnificis tollere honoribus:  
illum, si propriâ condidit arcula,  
Quicquid de Medicis provenit artibus,*

Gauden.

Bal. h. Exneri

Gaudentem fluidos tollere pharmacia  
Morbos, Attalicis conditionibus  
Nunquam dimoveas, ut pede libero  
Cyrrenaum cupidus cultor eat solum.  
Luctantem Stygis Regibus Ordinem  
Sacerdos tenuant, Curiam & aureæ  
Laudat dona Dicēs: mox repetit libros  
Sacros, indocilis litigium pati  
Est, qui nec Themidos commoda Dædalæ,  
Nec leges nitidâ discere de Dice  
Spernit, nunc medijs jura sub atrijs  
Dicens, nunc ad agri quisque scholas sui.  
Multos astra juvant, & citharis tubæ  
Permistus sonitus, voxq; Catonibus  
Detestata, meat per mare turbidum  
Mercator teneræ Coniugis immemor,  
Seu visa est Zephyris unda fauentibus,  
Seu vertit teretes Cætus atrox rates.  
Me Tyrrhenæ, hederæ, præmia Palladis,  
Dys miscent superis: me varia plicæ,  
Sophorumq; sacri cum salibus logi  
Secernunt populo: si neq; linguam  
Mi Pallas cohibet, nec tholus ingenti  
Obductum refugit pellere nubilum,  
Quod si me Sophiæ vatibus inseres,  
Augusto seriam sidera vertice.

In





In Odam II.

AD

NICOLAUM

REVSNERVM LEORI-

NVM, I. U. DOCTOREM ET A-

cad. Ienensis Antecessorem, Poëtam

Laureatum & Equitem Auratum,

Comitem Palatinum & Con-

siliarium Saxoni-

cum.

*De obitu*

IOANNIS MAIORIS,

S. THEOL. DOCTORIS ET POE-

tae coronati, ac Acad. Viteberg. olim

Professoris.

*Metuit, ne Barbaries vicissim*

*irrumpat, & artes humaniores*

*absorbeat.*

**I** *Am satis terris necis, atq; doctum*

*Funerum misit Deus: & recurua*

*Falce*

D. H. CANCER

Falce Maiorem perimens Poëtam,  
Terruit artes.

Terruit Musas, graue ne rediret  
Secum Phœbi, noua monstra questi,  
Artis ut Pluto decus egit artes

Visere sanctas.

Doctum & dura genus hæsit ora,  
Nota que sedes fuerat Tyrannis,  
Et superjecto parida natârunt

Equore Muse.

Vidimus diras Furias retortis  
Lutro inferno violenter undis  
Ire dejectum monumenta juris,

Templaq; Suada.

Cerbero dum se nimum querenti  
lactat ultorem, rabida & superbo  
Ducitur curru, Ioue non probante,

Barbara Diua.

Audiet Parcas acuisse ferrum,  
Quo rudes fuci melius perirent:  
Audiet casus villo parentum

Docta iuuentus.

Quem vocet Doctum populus, ruentium  
A tium rebus? prece qua; fatigent  
Enthei vates minus audientem

Carmina Mortem?

Cui

Ethopœia Horatiana.

Cui dabit partes sacra protegendi  
Iesulus? tandem venias precamur  
Fronde candentem genium ligatus

Paulle Melisse.

Sive tu mauiis Friderice Taubman,  
Quem iocus circumvolat & Camana;  
Sive Phœbeum genus & Poetas

Respicis autor.

Hem nimis docto celebrate versu,  
Quem vehit Phabus, teneraq; Musa,  
Berlmane, & sacrae Medice, penetral,

Numen, ad altum.

Sive mutatâ Sophiam figurâ  
Reulner, in terris inuicaris almi  
Filius Phœbi, patiens vocari

Palladis vltor.

Serus in Cynthum redeas, diuq;  
Lætus intersis populo Themista;  
Neve te nostrâ ruditate iniquum

Turma polorum

Tollat. hęc pulcros potius triumphos,  
Hęc ames dici Pater atq; Princeps,  
Neu sinas Parcas furere vsq; inultas

Te duce Reulner.



Ad



Ethopœia Horatiana.

Præfedit cathedræ virum

Primus : nec timuit Tartareum Ducem,  
Infestum æthereis viris :

Nec toruas Furias, nec rabiem Stygis,  
Quâ non Cerberus inferum

Maior, perdere seu lader e vult bonos.  
Quas Ditis timuit minas,

Qui claris oculis numina cœlica,  
Qui carpsit sonum Olympicum, &

Divinos modulos V. V. einrichi mei ?  
Nec quidquam D E V S obtulit

Prudens Christisoni munera dogmatis  
Terris, si tamen impij

Non credenda viri substituunt mala,  
Audax vincula perpeti

Gens humana ruit per vetitas faces.  
Audax terrigenum genus

Christum fraude mala mentibus abstulit.  
Post Christum ex animi domo

Subductum, impietas, & nova Criminum  
Terris incubu t cohors,

Semoti q̄, prius, cura libidinis,  
Ditis corripuit gradum.

Christum Iulades spernit Apostata,  
Lingua non vicijis data,

Descendit Acheronta Arrius allibens.

B

Nil

Balth. Exneri

*Nil mortalibus impium est,  
Terram præferimus sideribus, neq;  
Per nostras cupimus preces  
Cæli amissa Deum reddere culmina.*

In Odam IV.

DE OBITU

DAVIDIS CHY-  
TRÆI S. THEOL. DO-  
CTORIS ET ACAD. RO-  
stoch, primarij Pro-  
fessoris.

*Dicit nihil certius esse  
morte.*

**D**isperit aliq; homo iusta vice sortis & iehona,  
Raptiq; clarum nex nigella Myſtam.  
Ac neq; jam modulus gaudet schola, nec Magister  
Nec tibia doctas personant toquelas. (arte,  
Iam Lachesisq; animū fortem capit obruto Chy-  
lunctaq; Parcis Orcinæ cohortes, (træo,  
Alternis terram quatunt pede, dum mei Chytræi  
Clotho perardens occat ora & artus.

Nunc

Ethopœia Horatiana.

Nunc decet aut rigida nitidum caput impedire ta-  
Aut sindone, oræ quam ferunt Latins. (xo,  
Nunc & in ornatis Mystæ decet accinisse templis,  
Lamenta seu vult, sive naniam vult.  
Pallida mors nostrum pulsat simul omnium taber,  
Vitæq; valvas; ô beate David, (nas,  
Vite meta brevis, spem nos facit inchoare nullam,  
Iam nos premet nox, fabuleq; Manes.  
Et locus exilis feralis; ad hunc simul feremur,  
Nec regna mundi concinemus huius,  
Nec nimios titulos sectabimur; his calet profanus  
Nunc omnis, & nil sub polo iuuabunt.

In Odam V.

A D

CASPAREM SCHVVENCK-  
FELDIVM PHIL. ET MED. DO-  
ctorem, & Reip. Hirschberg.  
Phyficum ordina-  
rium,

*Ipsius felicitatem in curan-  
do prædicat.*

Ethopœia Horatiana.

**Q**uis tetra invalidus temet homo in lue.  
Perfusus stygijs spernit odoribus,  
Hac, Calpurne, sub Urbe est  
Cui tantum medicas malum  
Felix antidotis est heu quoties fidem  
Expertasque manus dicet et incluta  
Doctis pectora donis  
Emirabitur auctior,  
Qui nunc te fruitur saepe Machaone,  
Qui semper facilem, semper amabilem  
Cernit, conscius auræ  
Infecta, miseri, quibus  
Intentatus eris; me, patria sacer  
Hirschbergâ populus dictuatur, omnia  
Ascripsisse potenti  
Isthac dona, laus Deo.



In





Balth. Exneri.

*Quis Phœbum tunica pulcrum Heliconia  
Dignè scripserit? aut jure Themistio  
Clarum Sysbachiden: aut ope Palladis  
Kreutcherum Sophiæ parem?  
Nos legum atria, nos commoda jurium  
Largis in socios muneribus bonis,  
Seclamur vacui: si ve quod urimur  
Non præter solitum graues.*

In Odam VII.

AD

BALTHASAREM  
TILESIVM HIRSCH-  
BERGENSEM, IC. COGNA-  
TVM SVVM.

*Dicit se patriâ plurimum dele-  
ctari, & adhortatur eum, vt tandem  
domum redeat.*

**L**audabunt alij cultâ Mysiam, aut Basilëam,  
Aut Latium, Austriacæq; Viennæ

Mœnia,

Ethopœia Horatiana.

Mœnia, vel Baccho Rhenum, vel milite Gallos  
Insignes, aut Saxona tempe.  
Sunt, quib. vnum opus est in vieta Bæmidos urbes  
Carmine magnifuo celebrare, &  
Undiq; regnanti turmæ præferre Rudolphum,  
Plurimus in Tyrigetum honorem  
Ditem diuit agris Ienam, fortesq; Britannos,  
Me nec tam celebris Noribergæ,  
Nec quoq; tam Phylyrès perstrinxit splendor opi-  
Quam decus Elysiæ reuidentis, (ma,  
Et præcepz Zacus atq; Hirschbergæ locus, &  
Mobilibus pomæriariis. (vda  
Blandus vt ardenti poscit connubia corde  
Sæpè procus; neq; viuut amicâ  
Absq; suâ: sic tu sapiens reuidere memento  
Elysiam, Hirschbergæ q; vireta,  
O Cognate citò: seute Argentinia Rheni  
Arua tenent, seu docta tenebit  
Parisi ora soli: Troiamq; atq; Ilium Vlysses  
Vicit vbi, tamen horrida saxis  
Arua patris, summo fertur quasisse labore,  
Sic Græcos affatus amicos:  
Quò me Ithacæ patriæ trahit officiosa voluptas,  
Ibimus, o socij Comitesq;  
Nil contristandum patriæ telluris in agris,  
Pectus enim præfagit idipsum,

Balth. Exneri

*Caram i hac emtellure nouâ magis vsq; fuiui a,  
O sortes peioraq; possi  
Mecum sepe viri, nunc terram visite vestram,  
Cras nostras reuidebimus ades.*

## In Odam VIII.

A D

GOTHOFREDVM  
BVCHOLZERVM, REI-  
PUBL. GORLICENSI  
a secretis.

*Monet, vt edat parentis sui li-  
bellos postumos Chronologicos.*

**G**othfrede, dic per omnes  
Te Deos oro, patrium cur negites  
Edere? cur apricum (libellum  
Oderit campum sapiens ingenij salisq;  
Cur neq; perpolitus  
Inter Autores niteat? seruida nec suani  
Perriget ora melle? (gnos  
Cur timet laudis faculas spargere? cur mali-

Sangui-

Ethopæia Horatiana

*Sanguine viperino*

*Cautiùs vitat? neq; jam lucida prebet arte  
Lumina, saepe famâ*

*Sæpe trans mundum genio nobilis expedito?  
Quid latet, vt Ludolphi* ( di

*Codicem dicunt schraderi subdubiosa Feu-  
lurgia, ne eruditus* (renses?

*Autor in eadem, & Furias proriperet fo-*

In Odam IX.

AD

IACOBVM CHIL-  
MARRHÆVM, COMI-  
TEM PALATINVM, EQVITEM  
Auratum & Sac. Cæs. Mat. Elce-  
mosynarium, &c.

*Petit Lauream & insignia Poë-  
tica, M. Caspari Conrado  
Vratislaviensi.*

**V**ides, vt altus sit genio meus  
Conradus, & jam concelebrent virum

Balth. Exneri

Vates coronati, tholoq;  
Carmina subvireant acuto.  
Præcinge vatem,serta super comis  
Large reponens: atq; lubent us  
Deprome Phæœas, Rudolphi,  
O Chîmarhœe, rosas vireto.  
Committe Musis cætera, quæ simul  
Donâre vatem carmine melleo  
Hæc supplicansem, nec Poëtæ,  
Nec Claræ remorantur artes.  
Quis sit vir isthic tu fuge querere, &  
Quem nunc Poëtam quisq; vocat, comis  
Innecte, nec nostros precatas  
Sperne comes, neq; Candidatum.  
Donec vigenti vis tibi suppetit  
Phæœa, nunc & carmen amabile,  
Doctiq; sub mundo susurri  
Castaliâ repetantur arce.  
Nunc & canentis symbolon aureo  
Festus Poëtæ cantus ab atrio:  
Pignusq; direptum cerebro,  
Aut genio benè cantitante.



In



In Odam X.

AD

VALENTINVM  
ERMERICVM REIP.

HIRSCHBERG. CON-  
sulem, &c.

*Laudat eum ab eruditione, &  
meritis ergà scholas & Rem-  
publicam.*

**R**merici facunde Pater Senatùs,  
Qui sacras artes Sophiæ sagacis  
Corde cognosti catus, & fidelis  
More ministri.

Te canam culti populi oppidiq;  
Consulem, nostræ patriæ parentem,  
Abditum quicquid placuit profunda  
Condere mente.

Te, scholas olim nisi perpoliss  
Per dolum attritas, sapidum verenda  
Voce dum laudat, viduus monarchæ  
Civis anhelat.

Quin

Balth. Exneri

Quin & injustas, Duce te, Phalanges,  
Ætherâ solers Nemesis relictâ,  
Barbarosq; ignes, & iniqua jura  
Monstra fugavit.  
Tu piâ lætis Sophiam reponis  
Sedibus, nutuq; le vem coërces  
Primulo turbam, Themidi exterisq;  
Gratus & urbi.

In Odam XI.

AD

GEORGIVM CA  
ROLIDEM à CARLS-  
PERGA IN ROSTELITZ, POB.  
tam Cæsarium & nouæ Pragæ  
Secretarium ad finem  
suum.

Monet, ne ob quorund. inui-  
diam abijciat Poësin.

**T**u ne quæsieris scire (nefas) quos mihi, quos  
tibi  
Momos Dis dederit, Carolide, nec Bærecynthios

Ar-



Ethopæia Horatiana.

Arctaris numeros, ut melius, quicquid erit, pati.  
Seu plures Satyras, seu vomuit Zoilus ultimam,  
Quæ nunc Cerbereis commaculat criminibus vi-  
Cyrrhæos, sapias, metra sones, & genio tuo (ros  
Vim Momi reprimas dum canimus, fugerit inuid<sup>9</sup>  
Quiuis! plecte virū, qui nimium liuidus omnibus.

In Odam XII.

A D

IOANNEM DAVTH  
I. U. D. ET ADVOCATVM  
Magdeburgensem.

*De laudibus Iurisprudentiæ  
& Iurisconsultorum.*



*Vem virum aut herōa cbelū, vel acri  
Tibiā sumes celebrare Musa?  
Quem Deum? cuius recinent suāves  
Acta Camæna?*

*Aut in antiquis Latij theatris,  
Aut super Gallis, sapidisq; Belgis,  
Unde cœlestem temerè insecuta  
Jura Themistam.*

Lege

Balch. Exneri

Lege communi rigidas mouentem  
Cordium fibras, memoresq; mentes,  
Blandum & obusum facie per aqua  
Vincere pectus.

Quid prius dicam solitis Marantzæ  
Laudibus, qui res Sophiæ & Themistis,  
Qui DE leges, placidaq; justum  
Provehit artes?

Unde nil maius generatur ipso,  
Nec veget quicquam simile, aut secundum,  
Proximos illi tamen occupavit  
Baldus honores.

Iuribus vivax neq; te silebo  
Pistor, & sanctus per amice Vasqui  
Curijs, nec te recinende grandi  
Grasse cothurno.

Dicam & Obrechtum, & geminos Socinos,  
Hunc nomis, illum superare Svada  
Nobilem, quorum simul ars Latinis  
Dia refulsit,

Prodyt terris Themidis figura,  
Fugit iniustum, redyit q; justum,  
Legis & (sic Dy voluere) mundo  
Norma resurgit.

Zasium post hos prius, an jugales  
Beultñ flammis, memorem, an politos





In Odam XIII.

AD

HIRSCHBERGAM

PATRIAM.

De laudibus

*Melchioris Telesij, ibid.*

*Senatoris.*



*P*m tu, Patria, Tilesi

*Doctrinam variam, provida Tilesi*

*Poscis pectora, nœ, meum*

*Fervens lætificâ voce sonat labrum.*

*Tunc nec mens mihi, nec genus*

*Imâ sede manet: splendor & in solum*

*Fusim spargitur, arguens*

*Quâm claris penitûs diter amiculis.*

*Grator, seu tibi Curiam*

*Auxerunt nitidam legiseræ viris*

*Divæ: sive vir inclytus*

*Præluxit tacitam jure tibi facem.*

*Hunc, si me satis audias,*

*Colas perpetuûm, faustiter atria*

*Claran\_*

Ethopœia Horatiana.

Clarantem tua, quæ Themis  
Sancta lege sui numinis extulit.  
Felicester & ampliùs,  
Quos Astrea tenet cœlica, nec malis  
Fœdatus Furis fori  
Suprema citiùs soluit honor die.

In Odam XIV.

IN CLOTHŌ.

*Gravissimo laborante morbo*

MARIA FISCHERIA,  
PATRITIA HIRSCHBERGEN-  
si, Melchioris Freudenbergl,  
Diaconi ibidem, Con-  
iuge.

*Deterret illam, ne hanc per-  
dere tentet.*



Clotho, referent in Styga te sacri  
Mystæ prô quid agis, parce nouellulæ  
Nuptæ ' nonne vides, vt  
Nudi consilio lares,


C

Et

## Ethopœia Horatiana.

Et coniux stygijs faucibus incolis,  
Parentesq; gemant, ac sine Coniuge  
Vix complere maritus  
Possit tempora tristia  
Vitæ? non tibi sunt integra pectora,  
Non Dii, quos iterum læta voces malo,  
Quamvis Orcina Diva,  
Iouis filia Avernei,  
Iactes & genus, & numen inutile:  
Nil nigri superus Iova cohortibus  
Cedit, tu nisi Christo  
Debes ludibrium, cave.  
Nuper vulnificum quæ mihi tædium,  
Nunc solatiolum, fama; non levis,  
Inter nexa novellos  
Vites vincula coniuges.





# In Odam XV.

AD

M. CASPAREM  
CONRADVM VRA-  
TISL. POETAM CÆSARIVM  
& Med. Candidatum,

*Monet, ne Philosophiæ gradum  
preponat dignitati Poëticæ, idq̄  
aliorum exemplo.*

**C**onradus peteret cum prece Caesaris  
Hortis lauriferam Mysta coronulam,  
Tergrato socios advocat otio  
Vates, vt legeret sacra,  
Caesar,serta,bonâ ducis aui domum,  
Quam multo recinet Slesia carmine,  
Coniurata tuam pangere lauream,  
Et venam genij grauem  
Hâ hâ quantus honor, quantus adest tibi  
Claror? quanta paras nomina patriæ  
Genti? jam titulum Caesar, & annulum,  
Laurumq; atq; beceras datat.

Ethopæia Horatian L.

Nec quicquam Sophiæ præsidio ferox  
Temnes Phæbigenas gratæ Cæsari  
Inflato genio fertula negliges,  
Nec quicquam aônisin sacros  
Versus, & Clarij culmina Præsulis  
Vitabis, Strophiumq; & facilem loqui  
Euterpen: tamen hæc Pallada lauriger  
Castam muneribus coles.

Non Steinbergiaden auxiliū tuæ  
Venæ, non Bilovum Marchiacum aspicias?  
Laudant eximij te Ludovicus  
Vechnerq; & Grunius sciens  
Artis, sine opus est scribere carmina  
Non vates tenuis, laureolam quoq;  
Sumes. ecce cupit te decorare Apollo  
Diuâ melior Sae.

Quem tu nympha velut porticulæ alterâ  
Visum parte procum, muneris inmemor,  
Sequaci aspicias blandus ocellulo,  
Non hoc Pierisin negans.

Palatina jubar proferet artibus  
Poetiq; sacris laurus Apollinis:  
Post certas hyemes junget Hygeia  
Medela, & medicum decus.







In Odam XVI.

AD

M. PANCRATIVM  
SYSSEBACHIVM, REI-  
PVBL. HIRSCHBERG. SYN-  
dicum & Senatorem  
primar.

IN OBITU  
LVDIMILLÆ,  
FILIOLÆ.

*Monet, ne nimium contristetur,  
cum hæc non sine certis causis à Deo  
ex hac miseria evoca-  
ta sit.*


**O** Patre docto profane doctior,  
Quem luctuosis cunq; voles modum  
Pones querelis: siue cantu  
Siue animo libet expedito.  
*Non mors avorum, non obitu quatit  
Mentem, Parentum mors penetrabilis,*

## Ethopæia Horatiana

Non frater æquæ, non peremta  
Sic cruciant animum Sorores,  
Ceu fata gnatae; quam neq; regia  
Sat Iuno deflet, nec Dea Cypria,  
Nec docta Pallas, nec misellâ  
Iuppiter ipse dolens querelâ.  
Fertur poli Rex demere humullos  
Cunctis tremendus particulam antea  
Donatam, & amissi vigoris  
Vim generi statuisse nostro.  
Mortis, humullos exitio graui  
Strauere, & isti filiola, vltimæ  
Stetere causæ, cur obiret  
Ocyus, attraheretq; cælum  
Nympham tenellam Christus Iesulus  
Compesce mentem: me quoq; pectoris  
Vexauit in dulci iuuentâ  
Luctus, & in miseras querelas  
Misit dolentem, nunc Ego mitibus  
Mutare quæ ro tristia: dum mihi  
Fias recantatis jocosus  
Naniolis, animumq; reddas.




In

  
In Odam XVII.

Super funus

BALTHASARIS  
EFFENBERGI HIRSCH-  
BERGENSIS, ECCLES. DOM-  
stad. in Moraviâ Pastoris,  
amitini sui.

*Conqueritur se post mortem,  
suorum omnium, relinqui solum super-  
stitem, & felicitatem demor-  
tui prædicat.*

 Rescens venustas sepe Sororculas,  
Necat solo isto pestis: & auream  
Præcidit ætatem propinquis  
Usq; meis, tenerosq; fratres.

*Impune carâ sub patriâ pios*

*Mactant Parentes, & quoq; te nigra  
Plutonis vxores mariti:*

*Nec superum metuunt lehouam.*

*Nec militantes nex rigida angelos,*

*Utcunq; summis, Balthasar, ausibus*

## Ethopœia Horatiana.

Urbes, & Orbis splendentis  
Climata sustinere cuncta.  
Dij me reseruant : Djs genius meus  
Et Musa cordi est : hinc tibi copia  
Manabit ad plenum beato  
Ætheræ honorum opulenta cornu.  
Hæc in Iovæâ sede Acherontias  
Vitabis vndas : & fide Cœlicâ  
Dices reidentes in vno  
Ivεύμα sacrum, superumq; Christum.  
Hæc innocentiæ præmia muneris  
Carpes Olympo : nec super o poli  
Cum Rege confundet Pater Dis  
Prælia, nec metues furentem  
Salvus Satanem, ne malè, à spari  
Incontinentes inijciat manus,  
Et ladat impostam coronam  
Crinibus, æthereamq; vestem.



In



In Odam XVIII.

AD

HENRICVM MEL-  
BOMIVM, POETAM  
CÆSARIVM ET ACAD.  
Iulix Professoreml.

*In obitu*

SALOMONIS FREN-  
CELI à FRIDENTHAL, POE-  
tæ Cæsarij & Acad, eiusd, olim Pro-  
fessoris, jam verò Rigensium in Li-  
vonia Oratoris & scholar,  
Inspectoris.

*Dicit non lugendos esse piè  
mortuos.*

*(ris asseclam,*

**N**inquam, Henrice, tuum Frencelium fleue-  
Circa tecta scholæ Iulidos & mania Saxona.  
Doctis omnia nam sibi DEVS præsecuit: neq;  
Mortales alio disperiunt terricdæ modo.

C 5


Quia

Balth. Exneri

Quis post fata grauem tristitiã aut neniolã cupit?  
Quis non te potius Christe Deus? teq; Deus pater?  
At ne quis modicæ transiliat canticã neniã,  
Mausolea monet cum lacrymis Artmisiã in viro  
Infirmata: monet terrigenis non facilis D E V S  
Cum cœlum atq; solum pertenui sine querelulã  
Discernunt miseri. non ego te, candide Frenceli,  
Defunctum repetam, nec varijs obsita questibus  
Sub dium rapiam, celsa habita cum venerabili  
Christo sidera; quæ subsequitur summus amor Dei;  
Atq; ornans homines plus nimio gratia perditos,  
Olympiq; decus nobile perlucidius face.



In

  
**In Odam XIX.**

A D

DIVVM RVDOLPHVM

II. ROM. IMPER.

*Petit recipi in Numerum No-  
tariorum siue Iudicum Ordi-  
nariorum.*

**M**ater blandula iurium,  
Olympiq; iubet me Soboles, Themis,  
Atq; Astræa venustula

*Fuitis animum reddere legibus.*

*Vrit me Themidis nitor,*

*Lucentis Clariâ Daphnide clariùs.*

*Vrit grata benignitas,*

*Et vultus nimium commodus aspici.*

*In me tota rues Dice,*

*Cælum deseruit, nec patitur Scythas*

*Et versis animosum equis*

*Slesum dicere: nec quæ nihil adferunt.*

*Heic sacram mihi pennulam, heic*

*Membranas dato, Cæsar, mihi, puluerem &*

*Nigri cum tabulâ noti.*

*Coniunctâ veniet celsior arbuto.*

In



In Odam XX.

AD  
IOANNEM EME-  
RICVM HIRSCHBER-  
GENSEM PHIL. ET MED.  
Doctorem.

*Monet, ut domum redeat  
ad suos.*

**S**emma spectabis titulis paternum  
Splendida, multo quod Ego ipse versu  
Publicum feci, data Montpeliri  
Cum tibi crolla,

Chare Ioannes Medice, ut Medelæ  
Ponticæ, mystæ, simul & polita  
Redderent laudes tibi Gallicani  
Testa lycei.

Slesiam, & nostra celebres Camæna  
Tu petes Cines, mea nec paternæ  
Negligunt terræ, neq; Slesicani  
Carmina colles.

In



*Decorative border*  
In Odam XXI.

AD

M. PANCRATIVM  
KRETSCHMERVM,  
REIP. PATR. HIRSCH-  
berg. Consulem.

*Commendat ipsum & alios Or-  
dinis Senatorij Primates ab  
Eruditione.*

**K** Retschmerum claria dicite virgines,  
Ermricum Sophie dicite Consulem,  
Albertumq; superno  
Dilectum penitus DEO,  
Vos pulchrum studijs & genij auslibus,  
Quicumq; aut Themidis prouenit artibus,  
Cultis aut Heliconis  
Scholis, aut Sophiæ sacræ.  
Tu fasces totidem tollito laudibus  
Tribunalq;, Dice, nobile SysbachI,  
Insignemq; corona  
Paterna q; humerum toga,

Hic

Balth. Exneri

*Hic tortas tabulas, hic varias plicas,  
Nefasq; à Themide & patriâ amabili in  
Diras atq; Barathrum  
Vestrô motus aget sonô.*

In Odam XXII.

AD

GEORGIVM  
MARTINIVM à BAL-  
DAW, POETAM Cœ-  
sarium.

*Dicit librum, habentem geni-  
um, non egere aliorum defensione  
& commendatione.*

**N**teger socci genijq; pulcer,  
Non eget Phœbi jaculis, nec arcu,  
Nec venustate grandida loquelis  
Voce, Georgi.

*Siue per Momos iter insolentes,  
Siue facturus per inebriatos*

Zoilos,

Ethopœia Horatiana.

Zoilos, vel quæ loca fabulosus

Fœdat Odirus.

Namq; me terrâ Lycus in paterna,  
Dum sacram sector Themiden, & ultra  
Terminum curis vagor expeditus,

Fugit inermem.

Quale portentum neq; militaris  
Slesia in latis alit esuletis,  
Nec Rheni tellus generat, falerni

Fertilis ora.

Pone me pigris vbi nullus oris  
Doctus Astrææ recreatur aura,  
Quod latus Lethæs rabies, malusq;

Tartarus vrget.

Pone sub curru nimidum maligni  
Ditis, in terra Themidi negata:  
Dulce ridentem Themiden amabo,

Dulce loquentem.



In



# In Odam XXIII.

A D

DEVM OPT. MAX.

*Ipsius amorem erga se  
prædicat.*



*Ades Sponsa auida me potior Deus,  
Amanti cupidum perpete flammula  
Sponsum, non sine magna  
Fibrarum atq; animi dosi.*

*Nam seu mobilibus Sponsuli inaudit  
Adventus pedibus: seu lepida genas  
Dirupere loquela:  
Et corde & genibus salit.  
Certè nunc ego te, gratius homuncio  
Peccatiq; reus dicere molior.  
Tandem desine labem  
Gaudens munditijs pati.*



In



In Odam XXIV.

AD

BARPTHOLE  
MÆVM BILOVIVM  
a BILOW COM. PAL. POETAM  
Cæsarium, Equ. Aur. &  
Civ. Rom.

IN OBITU

STEPHANI BILOVII,  
ECCLESIASTÆ STENDALIEN-  
sis in Marchia Brandenburg.  
patris ipsius.

*Monet, ut illius obitum æquius  
ferat, & dicit frustra desiderari, quod  
reparari non possit.*



*Vis casu subito sit modus aut quies  
Tara chari capitis; præcine lugubres  
Cantus Telxinoe, cui pater aiberis  
Lesum funereum dedit.*

D

Ergo

Ethopœia Horatiana.

Ergo Bilovium perpetuus sopor  
Urget? cui schola & Ecclesia Stendalis,  
Incorrupta fides, religio ipsaq;  
Quando vllum accipient parem?

Templis ille quidem flebilis occidit,  
Sed non flebilior, quam tibi, Biloui,  
Tu frustra pius; heu non ita conditum  
Poscis Bilovium Deum.

Quod si threni homo tristior orphano,  
Denatum revocare institeris patrem,  
Non viuax redeat flamma cadaveri,  
Quam curru semel entheo

Pronus Christicolis astra recludere,  
Electo intulerit Rex superum gregi,  
Durum: sed levat obliuio quaelibet,  
Quicquid congemere est nefas.



In



In Odam XXV.

AD

BALTHASAREM  
TILESIVM HIRSCH-  
BERGENSEM, IC, CO-  
gnatum suum.

*Monet, ut tandem in pa-  
triam redeat.*

**C**rebrus sedes repetunt paternas  
Laudibus partis juvenes patrii:  
Et mihi curas adimunt, amatq;  
Patria doctos.

Que prius raro Clarior videbat  
Filiis, cernis magis & magis jam:  
Me tuo fidas recalente voces  
Balthasar audis?

In vicem doctos bonus Optimates  
Ibis, in magno, mihi crede, circo,  
Sole discedente magis sub atra  
Atria noctis.

D 2

Cum

Ethopœia Horatiana.

Cum tibi flagrans amor & Cytheris,  
Quæ solet Phæbi stimulare alumnos,  
Vinciet cunctas animi medullas

Non sine plausu.

Quæq; quod virgo iuvene erudito  
Gaudeat docto magis atq; Sponso:  
Atq; Mopsos Phanocratae puellæ

Linquat aduncæ.



In





In Odam XXVI.

A D

DIVVM RVDOL-

PHVM II. IMP.

R O M.

*Petit lauream & insignia  
Poëtica.*

**M**sis amicus litigium & Dicen  
Tradam seueris in mare Balticum  
Portare ventis: quæ sub aula  
Laus Themidis revirescat alma,

Quid jure cultos evehat, vnice  
Securus! ô qui frondibus jnnubis  
Gaudes, venustos necte flores,  
Necte meo capiti coronam

Rudolphe Cæsar. nil sine te mei  
Profunt honores, me titulis novis,  
Me Delphica ligare lauro  
Teq; tuumq; decet tribunal.



In Odam XXVII.

Ad Nuptias

CHRISTOPHORI  
LINDNERI SVID-  
NICENSIS, ECCLESIAE  
Freiburg. in Silesia  
Diaconi.

**N**ymphas in usum Coniugij satas  
Ductare doctum est, jungite mi meam  
Sponsam, verecundamq; nympham  
Insipidis negitate Mopsis.

Mente atq; forma Susula Bryllide  
Immane quantum discrepat! hanc meam  
Cantate Susannam Poetae,  
Et thalamo date vota nostro.

Vultis severi me quoq; ducere  
Gnatam Sceparni? dicat amabilis  
Pupus Cytheris, qua maritus  
Coniuge, qua vigeam marito.

Cessat voluntas? non alia fruor  
Consorte, quæ te cunq; beat Venus.

Non

Ethopæia Horatiana

Non erubescendis colôrat  
Ignibus, ingenuoq; semper

Amore gaudes, quicquid habes, age  
Depone tuis auribus; ab mea,  
Quanta bearis granditate,  
Aucta viri meliore flamma.

Quæ saga, quis te solvere vinculis  
Magus reuincis, quis poterit malus?  
Vix copulatum me iugata  
Parca triplex rapit: et Susanna.





In Odam XXVIII.

A D

CHRISTVM.

*Quod licet sit creator omnium,  
tamen mortuus sit, & illius ex Pro-  
sopopœia responsio.*



*E maris & terra, vitioq; carentis O  
Autorem cohibent Seruator, (lympi,  
Marmoris exigui prope templum parua  
Munera, nec quicquam tibi prodest, ( Sionis  
Aërias fecisse domos, visuq; superbum  
Conseruasse solum morituro.*

*Occidit Abramus genitor, gnatusq; neposq;  
Thesbitesq; remotus in auras,  
Atq; Dei arcanis Moses admissus, habetq;  
Atropos Ezechiam, iterum Orbe  
Excitum, quamuis animo pauxilla querenti  
Tempora tardauit, tamen vsq;  
Nervos atq; cutem tumulto concessit inani,  
Iudice te non cultor iniquus  
Iudæa louaq;: Sed omnes una manet nex,  
Et calcanda semel via mortis.*

Dant

Ethopœia Horatiana.

Dant alios Furiã toruo spectacula Diti ,  
Auxilium estue pijs polus ipse.  
Mista probum & reprobum densantur funera,  
Orbe caput mors horrida fugit. (nullum  
Me quoq; pro vitijs vestris Deus infernorum  
Mortiferis malus obruit undis.  
Sed tu homo promeriti ne parce malignus hono-  
Cœlifero & Domino adauſtori (ris  
Particulam dare : sic quodcunq; minabitur Orcus,  
Cerberis lacubus, furiales  
Plectantur Divæ : te sospite, multa q; merces  
Unde potest, tibi defluat alto  
A patre, flatuq; æthereo, Doctiore piorum,  
Negligis immeritis nocituram  
Postmodò te natis labes aspergere, certè  
Infera monstra, nigraeq; paludes  
Te maneant ipsum : meritis non linquar inultis :  
Teq; litamina nulla resolvent.  
Quanquam, baccharis, non est mora longa, licebit  
De voto ter pectore vivas.





In Odam XXIX.

A D

Historiam Animalium  
Silesiæ,

CASPARIS SCHVVENCK-  
FELDI, PHIL. ET MED.  
Doctoris, ac Physici Hirsch-  
bergenf. Ordi-  
narij.

**C**ASPAR, vetustis nunc Arabum insides  
Libris: & altam gloriolam paras  
Non ante descriptis Silesis  
Alitibus, varijsq; brutis.

Addis nitorem, quæ tibi Apollinis  
Sopho - Medenti numina seruiant?  
Phæbus quis in mundo libellis  
Ad genium statuetur auctis,

Doctus volucres dicere Silesicas,  
Venâ politâ? quis neget urnulis

Doctum

Ethopæia Horatiana.

Doctum reduci posse Coum  
Tristibus, & Medicam reverti?

Cum tu prebatos vndiq; nobiles  
Libros Medentium, Slesiacum & solum  
Ornare scriptis eruditis  
Pollicitus meliora pergis?



In



In Odam XXX.

Ad Dicen

CVM à DIVO RVDOL-  
PHO II. ROM. IMP. COOPTA-  
retur in numerum Nota-  
riorum.



*Dice regina soli poliq;  
Sperne dilectum Elysiū & vocantis  
Voce te multa, Themidos decoram  
Transfer in ædem.*

*Iusta sit te cum Nemesis, solutis  
Gratiæ Zonis, properetq; Pallas,  
Et parùm felix sine te Svada,*

*Religioq;*



In





In Odam XXXI.

A D

SANCTAM TRI-  
NITATEM.

*Petit bonam mentem, valetu-  
dinem integram, & vitam  
quietam.*

**Q***uid Trinitatem poscit Olympicam  
Vates? quid orat, de genio novum  
Promens sonorem? non opimas  
Silesiae segetes feracis.*

*Non fastuosa grata Polonia  
Armenta, non aurum, aut lapides novos,  
Non rura, quae Zaeus quietam  
Mordet aqua sinuosus amnis.*

*Premant recurva falce, quibus dedit  
Fortuna spicas, fortis & effluis  
Bellator exurat fanillis  
Tecta nouo reparata fulcro,*

Dij

Ethopoeia Horatiana.

*Dijis charus ipsis : quippe ter & quater  
Anno reuisens agmina Turcica  
Impune, me pascunt Camanae,  
Me Themis alma, decensq; Pallas.*

*Frui paratis & sapido mihi  
Iehoua dones ! ac precor integrâ  
Cum mente, nec vitam molestant  
Degere, nec salibus carentem.*



In



In Odam XXXII.

Ad Christum

PRO

GEORGIO ER-  
MÉRICO ÆGROTAN-  
TE, VALENTINI ERMERI-  
ci Consulis Hirschbergen-  
sis filiolo,

**R**oscimus, si quid queruli sub vrbe  
Vidimus tecum, quod & hunc in annum  
Duret, & plures, age fac Georgûs  
Nunc revalescat,

Consuli primùm rogitate patri,  
Qui decens metro, tamen inter artes,  
Sive communes agitabat alto  
Pectore curas,

Pharmacum & Cöum, Craterumq; & illi  
Semper astantem Medicam rogabat,

Et

Ethopœia Horatiana.

Et Deum sacro antidoto , sacrâq;  
Arte potentem.

O decus cœli & meritis supremi  
Regis æternum genus , ô dolorum  
Dulce lenimen , mihi cunq; salve  
Rite potenti.



In



In Odam XXXIII.

A D

IOANNEM FRE-  
DERVM S. THEOL.  
DOCTOREM, ACAD. RO-  
stoch. Professorem & Superintenden-  
tem Megapolitanum, Poetam in-  
signem, Præceptorem o-  
lim suum.

DE OBITU

DAVIDIS CHYTRÆI  
S. THEOL. DOCTORIS EIVSD.  
Acad. Primarij Professoris,  
Soceri ipsius.



Redere haud doleas pl<sup>o</sup> nimio, memor  
Denati Soceri; neu miserabiles  
Decantes elegos, cur tibi vis nevis  
Votis præualeat tuis?

*Horrendam Lachesin fronte nigellula,  
Christi perdit amor; Morte beatulum*

E Truci-

Ethopæia Horatiana.

*Trucidat Socerum : Sed prius inferis  
Iungentur Superi Dijs,*

*Quàm morti Socerus cedat Auernio,  
Sic visum superis, queis placet entheas  
Mentes, atq; animas sub juga Atlantica  
Gratâ ducere cum manu.*

*Ipsam me grauior cum caperet lues,  
Infestâ exsoluit compede Iesulus  
Christus, terrigenum iustior ordine,  
Nectentis varios dolos.*



In



In Odam XXXIV.

Super fanus

GEORGII ER-  
MERICI,  
VALENTINI ERME-  
rici Consulis Hirschberg.  
filioli.

**P** Arcus dolorum cultor & infrequens,  
Apollinaris dum sapientiae  
Peritus adsum, nunc retrosum  
Vela dare, atq; iterare lessus

Cogor relictos, namq; Diespiter  
Nutu vel vno singula dirigens,  
Plerumq; per mundum nigellas  
Mittit heras, a vidamq; mortem,

Quâ corda quæuis, qua vaga lumina,  
Qua frons & aucti morbida corporis

E 2

Moles,

Ethopæia Horatiana.

Moles, & Ermricus Georgûs  
Eripitur; valet ægrâ sanis

Mutare, vivacem & perimit Deus  
Mox fata mittens; hinc speciem rapax  
Triparca cum fragore summo  
Sustulit; heic posuisse gaudet.



In





In Odam XXXV.

Ad Parcam

PRO

LVDIMILLA SY SSE-  
bachia ægrotante,

M. PANCRATII  
SY SSEBACHII, SYN-  
DICI ET SENATORIS PRI-  
marij Hirschbergensis,  
filiolâ,

**O** Parca, vitæ quæ regis orbitam,  
Præsens vel alto tollere de statu  
Firmos homullos, vel tenellas  
Vertere funeribus puellas.

Te doctus ambit sollicita prece,  
Sysbachus isthic, te dominam necis,  
Quicumq; tabenti quiritat  
Filiolam invalidam labello.

Balth. Exneri

Te maesta mater, teq; Sororcula,  
Fraterq;, stemma omne & patrium genus,  
Omnesq; matres nymphularum &  
Blandiduli rogitant puelli,

Crueliori ne pede proruas  
Agram puellam, neu Lachesis feros  
Ad arma tardantes, ad arma  
Provocet, hanc sobolemq; perdat.

Te semper anteit blanda Valentia,  
Clavos trabales, & cuneos manū  
Pellens salubri, nec peritus  
Phæbus abest, valida & Medela.

Te mens & albo forma decens timet  
Ornata cultu, nec comitem appetit,  
Utcunq; mutatâ puellas  
Sorte piâs adamica ducis.

At tetra Clotho nunc & Lachesis magis  
Perjura vexat, concutiunt colu,  
Cum falce, consumta dolores,  
Perdere eam pariter dolosi.

Serues valentem filiam in ultimam  
Mundi senectutem, & juvenum frequens

Sola-

Ethopœia Horatiana.

Solamen, innuptis petendum  
Virginibus, juveniq; casto.

Eheu precatûs atq; metri pudet  
Curæq; quid nos ægra paravimus  
Ætas? quid æternum miselli  
Vidimus? unde manus necis vis

Metu lehouæ continuit? quibus  
Pepercit oclis? ô vtinam nouæ  
Incude distringas retusum in  
Decrepitos vetulasq; ferrum.





In Odam XXXVI,

AD

LAVRENTIVM  
LVDOVICVM LIGI-  
VM, POETAM CÆS. ET CV-  
riæ patr. ac provinc. Advoca-  
tum Ordinarium.

*Gratulatur ipsi de laurea &  
Insignibus Poëticis.*

**E**T plectro & modulis iunat  
Laudare, & genij carmine debito  
Rudolphum imperij caput,  
Qui nunc Cæsaris largus in arcibus,  
Claris plurima Vatibus,  
Nulli plura tamen dat sacra sertula  
Quàm Vati Ligio, memor  
Actæ in Pærio monte puertæ,  
Phœbæq; simul lyræ.  
Cressone careat lux sacra calculo.  
Neu doctus modus artibus,  
Neu morem in fidium sit requies soni.

Neu

Ethopœia Horatiana.

Neu multis Themis aurea,  
Vatem muneribus deuocet entheum.  
Non desint capiti rosæ,  
Neu laurus redolens, neve hederæ sacræ.  
Omnes in Themiden vagos  
Deponant oculos, nec Themis à viro  
Dirvelletur amabili,  
Diuersis titulis ambitiosior.



E S

In



In Odam XXXVII.  
SUPER PASSIO-  
NEM CHRISTI.

**N**unc est canendum, nunc prece supplici  
Deus rogandus ! nunc Heliconijs  
Lugere mortem Christi acerbam  
Tempus erat modulis, Poeta.

Antehac nefas quæsisse habitaculâ  
Caelis supernis, dum patulo solo  
Mors atra dementes ruinas  
Exitiumq; homini parabat.

Contaminato cum grege primulûna  
Lapsu parentum quilibet impotens  
Sperare, fortunâq; dulci  
Ebria : sed reprimit furorem

Proles Maria lanceâ abenedâ,  
Mortemq; succinctam tenebris caput  
Redegit ad veros timores,  
Christus ab Orcicolis euntem.

Hastis adurgens : Slesiacus velut  
Turcos nefandos, Moscovium aut citus

Polo-

Ethopœia Horatiana.

Tolonas, in campis nivalis  
Livonia; daret ut revinctis

Veram salutem: qui generosius  
Servare querens, non hominum modo  
Expavit Orcum, nec furentes  
Classe citâ fugiebat angues.

Ausus Barathri visere regiam,  
Vultu sereno fortis, & inferos  
Mactare Præfectos; ut altam  
Terrigenis reseraret aethram.

Deliberatâ morte celebrior  
Diris nigellis scilicet invidens  
Deiectus adduci superbo  
Non humilis Dominus triumpho.



In



In Odam XXXVIII.

A D S V A M  
M E N T E M.

*Dicit pietatem colendam, so-  
lumq; Christum querendum esse.*

**P**erficas odi, mea mens, patellas,  
Displicet partum vitijs metallum,  
Perge sectari pia quo locorum  
*Verba sonentur.*

*Jesulo Christo, nihil allabores  
Fortior, curo, neq; te ministram  
Negligit Christus, neq; me sub arcta  
Sorte latentem.*

F I N I S.







L I P S I Æ,  
Typis Beruvvaldia-  
nis excudebat Ia-  
cobus Gu-  
bifius.




A N N O

M. DC. I.










Fragment of a Gothic script text on the right edge of the page.














44 44

AB 44 <sup>M</sup> / K,4

ULB Halle 3  
002 680 319






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



BALTH. EXNERI  
Hirschbergl

THOPOEIA  
HORATIANA.

*Hoc est:*  
IN

Q. Horati Flacci  
lib. I. Carm. Parodiae.



LIPSIÆ,  
ANNO Dei-Hominis  
MDC. LXX. I.

